

qui ulterius potest. Si namque certo jam constet esse verbum Dei revelatum; hoc ipso certo jam constat nil haberi quod rationi adversetur posse: secus qui agere assensum divinae revelationi certo cogitae suspensum ac pendentem faceret ab inquisitione sua mere rationali, utrum scilicet natura dogmatis principiis suis rationalibus adversaretur necne. Aliud vero est quod theologus ad dogmata fidei tuenda ac illustranda hoc etiam praeferre debeat, ut nil ea habere demonstret ex quo ultra repugnantia cum rationis principiis possit inferri. Officium theologi et officium credentis Hermesius plane confundit.

Ad 4. D. Si praemissa vera essent, C. si falsa N. Certe positis principiis et canonibus ex Hermesi atlatis, sine quibus prudens ac rationalibus fides oriuniret, consequitur sponte sua rationem principem, ino unicam norman esse in fidei negotio. At ea nimis recte methodo ac doctrine adversantur. Humana enim ratio utique unicum medium seu instrumentum est quo nos uti possumus ad motiva credendi percipienda atque ad ipsas res fidei cognoscendas: sed non eo sensu ut *judicet* de singulis dogmatibus atque ex hoc iudicio suam faciat fidem pendentem. Quod si theologus ratione uitur sua ad inquirendum utrum et quomodo dogmata singula fundamentum habeant in verbo Dei scripto vel tradito, non certe principem norman fidei sua rationem constituit, si quidem catholice procedit, sed munus suum dependenter ab Ecclesia auctoritate, proxima fidei regula, exequitur prout in capite inseq. clarius edocebimus.

PROPOSITIO II. — *Fides humanae rationis incrementis non adversatur, sed ea potius mirifice provehit.*

Frequens ac solemnis est altera ab incredulis ac rationalistis in christianam fidem impacta calumnia, ex ea nimirum humanae rationis evolutionem ac perfectibilitatem praedipiri, ejusque vim sub fidei jugo opprimi omnino, atque elidi. Nec ab iis fere discrepant protestantes, qui quamvis fidem, privato nimis cuiusque iudicio innoxiam, admittant, omnes tamen in Ecclesiam catholicam insurgunt, quod ista dom fidem ex principio repetit auctoritatis, obseruantissimum quem vocant, foveat, scientiarumque omnium progressus retardet. Contra hos omnes hanc statuere propositionem hec opera prestitum erit.

Fidem catholicam certe rationis humanae incrementis non adversari, sed ea mirum in modum provehere, evidens erit, si ex eadem fide sive directe sive indirecte scientias omnes optimaque studia quibus maxime excolitur ac perficitur humana ratio, juvari vehementer ac promoveri probaverimus.

Quod ut praestemus ea ratione que lucido simul ordini ac brevitat consuet, latissimum scientiarum campum ad peculiares quasdam classes, sapientum iudicio satis probatas, ipsaque rerum diversa natura definitas, revocare juvat. Nam vel ad intellectus speculationem, ac theoreticam entium doctrinam scientie pertinent, ut logica, psychologia, ontologia,

anthropologia, cosmologia, naturalis theologia, etc., ac *rationales* dicuntur; vel humanam operationem ac proxim prope attingunt, uti ethica, politica, jurisprudentia, et *moralium* nomine veniunt; vel demum in physica rerum natura investiganda, uti physica generalis ac particularis, chemia, etc.; aut in quantitate supputanda versantur, uti mathesis ejusque multiplices divisiones, que disciplina omnes *naturalium* appellationem sortiuntur. Scientiis demum istis ea adjici possunt studia que generali bonarum artium nomine comprehenduntur, quales historia, critica, pictura, sculptura, poesis aliaeque ejusmodi sunt.

Jamvero primum *directe* catholicam fidem scientias istas ac bona artes promovere luculentissime ostendit ex eo quod ad illam sive adstruendam, sive constabiliandam omnium fere scientiarum apparatus necessarius existat. Etenim cum prius *præambula* ad fidem, que ex dictis supponi debent, in toto collocanda sint, scilicet Dei existentia, providentia, animorum immortalitas, etc., jam cognitionis humanae fundamenta, certitudinis ac veritatis criteria, rationcinandi leges, animi naturam ac proprietates, ontologicas notiones atque principia sedulo investigare ac persequi opus est: que quidem ac id genus alia ita scientiarum rationalium usum exposcent ut sine illis ulterius progredi frusta contendas. Motiva deinde credibilitatis expendenda, ac ita vindicanda, ut fidem evidenter credibilem efficiant. Innumeris pene hinc disquisitionibus historicis, criticis, philosophicis, physicis, physiologicis, etc., aditus patet quibus vaticinia eorumque adimplentia, multiplicia miracula, media et obstacula tum propagationis tum conservationis fidei, martyrum testimonium ejusque ad probandum vis firmiter constabiliantur. Idem contingit cum de unice vera Ecclesia a Christo instituta, ejusque immutabili ad mundi usque finem tot inter procellarum fluctus stabilitate disceptabis; de constitutione, præterea, notis dotibusque ejusdem ut tuto possit a storia quavis secta sociari, tum de supremo ejus visibili capite; quibus constitutis ad quenam posthac peculiarem articulum aut dogma fidei devinas (1).

Quid vero cum dogmata singula discutienda et vindicanda, cum disciplinam ab Ecclesia sanctam, leges conditas, errores proscriptos, damnatas theses que integratatem ejus doctrinæ quoquo modo labefactant aut temerant, vel propaganda vel evertenda suscipias? Exinde polemica, seu ut modo loqui adament, apologetica theologia exortur que innumeris fere questiones amplectit agitandas adversus incredulos, haereticos, catholicosque neotericos ad sartam tectamque fidem catholicamque doctrinam a-servendam ac protuendam. Cum vero fidei hostes omnibus disciplinis abutantur, abstrusa queque rimentur, monumenta conquerant, facta aut historias corrum-

(1) Que hic vix attigimus ad ostendendum, veluti in germine quomodo fides habeat progressibus ipsis rationis, ad quam propterea apte illi consonet, latius in capite inseguente ubi de rationis officiis post fidem agemus, erum evolvenda.

pant, nulli parcant fraudi atque molini quo Ecclesiæ a pacifica sua possessione deturbent, necessitas catholicis oritur quo veritas integra et incorrupta maneat, omnium prorsus disciplinarum subsidium in rem suam derivandi.

Ad haec accedit, plures ab Ecclesia catholica articulos tradi, qui ad bonas artes provehendas mirifice conferunt, eujusmodi sunt quæ cultum externum, aliaque id genus attingunt, quibus factum est ut pictura, architectura, statuaria semper fuerint exculte, summosque viros quovis tempore extulerint de æstheica optime meritos (1). Quid de linguarum orientalium studio dicam, quarum pleraque monumenta in Ecclesia catholica conservata sunt, quibusque impensam semper viri insignes dederunt operam (2)? Eodem prorsus modo dicendum est de archaeologia sacra et profana, de palæographia, numismatica, epigraphia, etc., quæ in gratiam et commodum christiane et catholicæ fidei quavis aetate altae sunt, et incrementum ingens accepérunt (3). Idem in primis adstrui de geographia necesse est, que nempe ex missionario nostrorum excursionibus superiore aetate maxime innotuit (4).

Et haec quidem *directe*; verum haud minori efficacia scientiarum progressum fides *indirecte* promovit ac promovet. Cum enim catholica fides veluti commune centrum sit in quod ethniorum et infidelium, Judæorum, haereticorum, schismaticorum, impiorumque omnium tela perpetuo diriguntur, sit ut ejus defensores ad tot ictus elidendo ac infringendo non possint quin in omnigenas scientias ac disciplinas animum solerter intendant. Primi dicitis difficultibus, novæ identidem succedunt, quas alie iterum et aliae continenter excipiunt; inde actio illa jugis exsurgit et reactio quibus perpetua præbetur cultura scientiarum omnigenarum almonia. Quemadmodum vero scientias ulterius semper progrediuntur, unde novas adversarii indesinenter difficultates urgent adversus catholicam fidem, sic novi pariter exinde excitantur in catholicis progressus ad eas dissolventas.

Ex his luculententer liquet catholicam fidem esse, si

(1) Hoc inter cetera ostendunt præstantissima opera clarissimorum virorum. Jo. Winckelmann, Joan. Pap. Aloysii Georgii Seroux d'Agincourt, et Leopoldi Cicognara, qui picture, et sculpture historiam a suis iustis usque ad relationem nostram perduxerunt monumentisque omnigenis illustrarunt; pleraque porro hac monumenta ad rem christianam spectant. Idem die de historia picture cl. Aloysii Lauzi S. J. que pariter patefacit quantum contulerit Ecclesia catholica ad ejus progressus et universam minime insificantur.

Quod si Romæ tantum sistamus incensu hujus pontificum studii testes locupletissimi sunt amplissime bibliothecæ erectæ, Vaticana presertim, (Cf. Morelli *Inscription. Commentar. subject.* Romæ, 1785, c. 8. Item *Fest. ob. Christiani*); academias institutas ad omnigena studia promovenda (cf. Renazzi *Storia dell'università degli studi di Roma, 1805-1803*); monumenta per eos detecta et erecta in urbe, du quibus late agit Georg. Zoëga (in op. *De origine et usu obeliscorum* Romæ, 1797); Musea demum, ut cetera præterea, Pio-clementinum, Pianum, ac denique Gregorianum, quod nempe immortalis Gregorius XVI. in adibus vaticinis instruxit, undique comparatis Egypthorum Etruscorumque monumentis ad publicam utilitatem. Quid vero dicendum esset de tabulis egregie pietis, numeris omnis generis, aliquique innumeris ab iisdem pontificibus summo studio collectis ad urbis ipsius et religiosum ornatum? Haec omnia aliaeque ejusmodi innumera contulic præclare gesta in quavis aetate erga scientias atque

(2) Gerte monumenta lingue coptica, lingua syriaca, chaldaica, etc., que supersunt, ac proinde illarum studium et cultura aut unice, aut magna salem ex parte catholicæ fidei in acceptis referenda sunt; polyglotta bibliæ ex missaliibus, euchologis aliquique liturgicis libris, quoad has linguis, sunt confecta non minima ex parte. Semper has linguis excoluerunt catholici in missionaria gratiam quas penes illas gentes suscepérunt.

(3) Immortalia semper erunt opera Bosii, Aringii, Boldetti, Lupi, Marangoni, Muratori, Zacharie, Morelli atiorumque magno numero, que frusta apud protestantes queras.

(4) Cf. Card. Zurla in *Dissertaz. dei vantaggi dalla cattolica religione derivati alla geografia e scienze annesse* Roma, 1822.

hac uti comparatione fas est, ad instar electricæ machinæ, quæ scientiæ veluti fluidum excitat ubique communicante, ac vivus proinde semper et ardens sacer, ut ita dicam, ignis, illius ope servatur et alitur. Fide autem sublata, magnum saltem inciamen-tum scientiis decesset. Quo fit ut divina providentia ex mala ipsa errorum progenie qua suam perturbari et concuti Eccleiam sinit, hoc inter alia bonum eruere nunquam destiterit.

Sed alio generaliori argumento confirmatur nostra thesis. Quem enim catholica fides habet auctorem nisi Deum ipsum, nimurum scientiæ fons em ac largitorem uberrimum, qui scientiarum *Dominus* voluit appellari (*Lib. I. Reg. II. 5*); qui cum inexplebilem veri assequendi cupiditatem homini ingesserit, tum illum in sacris Litteris ad scientiam ac sapientiam sibi omni labore ac studio comparandam continentem excitat (*Ecli. I. I Pro. II. 6, XIII. 25, atque alibi saepe*); qui a sacerdotibus suis ut scientiam custodiunt, et cum aliis diligenter communient, requirit? Quid arctius igitur cum scientia quam vera fides, catholicæ nempe, copulatum est? Quod firmius dari potest vinculum ad scientias omnes in unum veluti corpus colligandas, easque incorruptas servandas quam vera fides? Hinc ubique fidei hujus splendor effusit, statim animi ad omnem vitæ cultum, ad politiores artes atque optimas quasque disciplinas excitauit. Hinc romani pontifices, ipsius fidei custodes ac vindicis, nil unquam habuerunt antiquius quam una cum fidei amore studia litterarum scientiarumque ubique lovere, vetera illarum monumenta studiose colligere ac inter tot temporum clades servare, sedemque suam non modo religionis centrum, sed etiam bonarum artium ac disciplinarum veluti domicilium efficerunt (1).

(1) Quis porro possit tot tantaque rom. pontificum in optima queaque studia et artes promerita percensere? Satis hec esset commemorare celebriores atque illustiores Europeæ universitates nonnisi ex secentia, favore et assensu rom. pontificum fuisse constitutas. Si quis aliquod hujus rei specimen desiderat, conferat orationem inauguralem habitam die 4. Nov. ann. 1854. in universitate catholicæ Lovaniensi tune iterum instaurata, ubi p.ura diligenter collecta inveniet. *Annu. delle scienze religiose*, vol. I. n. 1. *Conringiana de antiquis academicis* dissert. VII, Gotting. 1759. Georgium Hagelgans, *Orbis literatus academicus*, Francof. ad Menum 1757. Christo. h. Meiners *Geschichte der Entstehung*, etc. seu *Historia erectionis et progressus scholarum altiorum*, etc. Gotting. 1802-5, quibus acatholici merita rom. pontificum in litterarum rem universam minime insificantur.

Quod si Romæ tantum sistamus incensu hujus pontificum studii testes locupletissimi sunt amplissime bibliothecæ erectæ, Vaticana presertim, (Cf. Morelli *Inscription. Commentar. subject.* Romæ, 1785, c. 8. Item *Fest. ob. Christiani*); academias institutas ad omnigena studia promovenda (cf. Renazzi *Storia dell'università degli studi di Roma, 1805-1803*); monumenta per eos detecta et erecta in urbe, du quibus late agit Georg. Zoëga (in op. *De origine et usu obeliscorum* Romæ, 1797); Musea demum, ut cetera præterea, Pio-clementinum, Pianum, ac denique Gregorianum, quod nempe immortalis Gregorius XVI. in adibus vaticinis instruxit, undique comparatis Egypthorum Etruscorumque monumentis ad publicam utilitatem. Quid vero dicendum esset de tabulis egregie pietis, numeris omnis generis, aliquique innumeris ab iisdem pontificibus summo studio collectis ad urbis ipsius et religiosum ornatum? Haec omnia aliaeque ejusmodi innumera contulic præclare gesta in quavis aetate erga scientias atque

Magnum vero heic ad rem firmandam robur accederet ex tabula comparativa progressum quos in disciplinarum studiis humana facit societas ante et post christiana fidei ortum; scientiarum iterum status illis in regionibus penes quas viguit olim christiana fides, postea vero extincta est, aut ad quas nondum illa pervenit. Tametsi enim in cultioribus mundi antiqui regionibus plura floruerint ingenia præstantissima, Athenis præsertim ac Rome, ecquis non videt quam exigui fuerint scientiarum progressus in ethnismo, si cun illis conferantur quos tulus posterior atas? Vix crepuscula cernas fulgentissimæ illius lucis que undique deinceps se diffudit, ac in omni pene scientia emicuit. Si compares florentissimas quandam Asiae et Africæ provincias cum barbarie in quam post islamismum, haeresim aut schisma dilapsæ sunt, vix eas hac in parte agnosces. Imperium Sinense fixum ac hærens in infancia sua post tot secula perstigit; Indice regiones adhuc in fabularum scuarum veluti incunabulis detinentur.

Jure igitur concludas oportet tantum abesse ut fides catholica humanae rationis cultui ac incrementis officiat, ut ea mire prorsus juvet provehaturque (1).

DIFFICULTATES. 1. *Obj.* Fides seu principium auctoritatis hostis naturalis est omnis scientia et ejus progressus. Nam 1. superstitionem gignit ignorantia neatrem, et quin hominis acutum ingenium, illud auctoritati subdit, que limites signat quos prætergredi nefas sit. 2. Auctoritas suspicosa semper ac pavens ubique sibi videtur molitiones videre sive apertas sive occultas in fidei doctrinam. 3. Exinde illæ ortæ fuere insectationes in summos viros qui primi ausi sunt, trito itinere relicto, se extollere ad inventiones illas que immensus scientiis incrementum pepererunt. 4. Exinde pariter prodit librorum prohibitorum *Index* quo summi pretii opera interdicta sunt haud exigua scientiarum jactura. 5. Clamat adhuc cancer Galilæi adversus injustam romanæ inquisitionis vexationem. Ergo.

Resp. N. A. Ad 1. prob. N. Siquidem principium auctoritatis solum intendit ad proponenda omni cum certitudine objecta fidei, nec quid habet per se commune sive cum incremento sive cum decremente artes, litteratosque viros pluribus certe voluminibus exarata uberrimam segetem suppeditare.

(1) Dum haec cursim pro instituto nostro persequimur, gratulandum sane est, quod ætate hac nostra ardens in pluriorum catholicorum animis studium fervescat coniunctionem scientiarum omnium cum vera Christi religione alacris in dies promovendi. In quo collaudandam præcipue se offert noviter instaurata universitas Lovaniensis in Belgio, que huic sublimi scopo adeo naviter doceque allabatur. Præclaros etiam commandamus in id ipsum conatus quos exent, variis erectis institutis, edisque operibus Gallia: in qua satis sit periodicum opus memorare — *Universitas catholique* — quod velut monumentum est scientiarum omnium religionis honor dicatum. Haud parum etiam in eundem finem contulit egregium opus anglie conscriptum, sed gallice, ac italice translatum, et nunc item Mediolani et Neapoli recutum, cl. episcopi Wisemann;

Conferenza sopra la confessione delle scienze con la religione rivelata, omnigena sane eruditio refertum. Hæc quidem aliqua hujusmodi multa faustissima omnia sunt perfectæ illius concordie fidem inter ac scientiam, quam boni omnes exoptant quaque nos pro virili et provehore conati sumus, atque adeo conabimur.

scientiarum quas auctoritas non attingit nisi fidei revera aduersentur. Absurdum porro est asserere ex eo superstitionem gigni, aut impeditri quominus se hominum exerceant ingenia, quod omnem tollit a nobis animi fluctuationem circa ea que Deus revelavit, quodque naturales ipsas veritates, etsi aliunde rationis captui pervias, perspicuas omnibus certissimasque reddit. Hæc difficultas ex nativo enascitur protestantismi principio de *subjectivismo* fidei, juxta quod homo ex proprio veluti fundo fidei articulos efformat; quo sit ut revera non quod Deus revelavit credat, sed quod persuadeat sibi eum revelasse. Hinc quemadmodum in naturalibus scientiis, ita et in illis quæ fidei dogmata spectant, perfectibilitatem dari protestantes facile somniant, quo nihil absurdius. Cum agitur vera fides necessario ac natura sua objectiva sit, principium auctoritatis quod catholica proficitur Ecclesia, limites figit petulantibus ac lascivientibus ingenii, ne sibi jus arrogent temerandi aut reformandi opus Dei, quidpiam detrahendo aut adjicendo, aut etiam aliter intelligendo veritates quas Deus per Ecclesiam hominibus credendas proponit.

Ad 2. D. Ad eum modum quo optima mater suspiciosa ac timida est pro sollicitudine quam gerit erga proprios filios ne perniciem sibi conciscant, C. alio sensu N. Nihil sibi aut fidei a se prædicata timet Ecclesia, quea tuta est promissionibus aeterni Dei conditoris sui; ast valde timet ac sollicita est pro salute filiorum suorum. Quamdiu isti dociles sunt, ac se manu veluti duci patiuntur, nihil suspicatur, nihil de ipsis pertimescit Ecclesia; cum frâni impatientes sibi sufficere præsumunt, et vanæ cupidine gloriae scientia in propriam perniciem abutuntur, timet de ipsis ecclesia, non secus ac de alis quibus propinari error facile posset.

Ad 3. N. Nunquam enim Ecclesia quæcumque insectatus est qui intra debitos scientiae fines se continuerit. Quod si quis eos fines transilierit, et aliqua ratione fidem attigerit, Ecclesia jure suo usa est ad insanos conatus cohobendos quemadmodum civilis respublica in eos animadvertisit, qui fundamenta ac basim constitutionis sue concutere nituntur. Certe ea scientia quea divina fidei veritates quoquomodo lredit, recta rationi ipsi infensa maxime atque extiosa est, nec proinde scientie quidem nomine appetit.

Ad 4. D. Ne mala ac depravata doctrina incauti ac simplices decipiantur, C. alia de causa N. Itaque animadvertisimus 1. apostolicam sedem in consilio vulgandoque librorum prohibitorum Indice rationem habere periculi quod imminent eos libros legentibus tum circa fidem tum circa mores (1); 2. haud difficilem se præbere Indicis congregationem aut

(1) Plerique enim libri, qui in Indice referuntur, ipsa naturæ lege prohibiti sunt, cuiusmodi præsertim sunt qui ex professo contra fidem ac honos mores vulgarantur. Ecclesia præterea circa hos libros non aliud effici quam declarare qui ejusmodi sint, adjectis etiam peccatis in transgressorebus. Cf. egregium opus ab Zacchariæ de hoc argumentat.

sanctam sedem in concedenda facultate retinendi legendique libros prohibitos, dummodo ipsa certior fiat ex testimonio ordinariorum, quod alicui noxia esse nequeat illorum lectio, imo utilis esse possit; 3. nonnullos libros prudentis oeconomicæ gratis in Indicem referri, qua causa peculiari cessante, non obnubit apostolica sedes eos dein ab Indice expungere (1), præsertim si cum clausula *dunc corrigatur* prohibitus aliquis liber sit, et correctiones a sac. Congregatione recognitæ et probatae fuerint; 4. non ad arbitrium libros in Indicem referri, sed juxta prudentissimas regulas a rom. pontificibus prescriptas ac post diligens examen multiplicesque consultationes (2). Quæ cum ita se habeant, liquet, nullum omnino detrimentum ex ejusmodi Indice scientiis provenire, earumque progressui.

Ad 5. D. Si Galilæi causa ea esset quæ ab adversariis configitur, C. si omnino diversa N. Jamvero Galilæus in dupli cui obnoxius fuit examine, humanissime fuit exceptus; ejus doctrina circa motum telluris uti hypothesis nunquam damnata fuit, sed tantum ut thesis quam ipse nimis pugnaciter adstruebat. Quod vero ita se gesserit sac. Inquisitionis tribunal id causæ fuit, quia re nondum satis eliqua, in diversas sententias docti illius ætatis philosophi abierant, ex iisque nonnulli comprehendentes sibi videbantur in Galilæi sententia aliiquid quod sacra Scriptura adversaretur. In ejusmodi propria rerum statu prudenter se gessit romana Inquisitione dum prohibuit Galilæi opera, donec res melius innotesceret, eidemque indixit silentium, ad præcavendas turbas que ex ejus occasione oriri facile potuissent (3). Qui ultra corticem non figit obtutus, Inquisitionis hoc in negotio agendi rationem carpit: ast qui penitus rem expendit, eam potius commendat. Ad reatum certe ferendum judicium non ætatem illam ad nos, sed nos ad ætatem illam transferre necesse est. Ceterum opera Galilæi perinde ac Copernici ex nova Indicis editione expuncta sunt.

(1) Exemplo sint inter cetera, opera Jo. Pici Mirandulan, que sub Innocentio VIII. censuris notata sunt, postea vero per congregationem ad hoc expresse institutam ab Alexander VI. die 18. Jun. 1495. fuerunt absoluta, et hoc antequam index prohibitorum ex decreto Trident. fuerit vulgatus; liber pariter M. Marie d'Agreda in indicem relatus fuit, deinde expunctus: controversia V. Bellarmini *De potestate rom. pontificis temporali* jussu Sixti V. in indicem prius relata, postea vero illo defuncto pontifice exinde sublata est; sic famosæ quæstiones circa christiana officia Stephani Fagundez interdicta sunt, quæ deinde decreto speciale dato 18. Aprilis an. 1650. liberata a prohibitione declarata sunt; liber item V. P. Segneri *De concordia inter laborem et quietem ad tempus prohibitus* est, deinde decreto congr. s. Inquisitionis revocata est prohibito, ut constat ex ejus vita conscripta a P. Jos. Maffeo, § 49.

(2) Id aperte liquet ex constitutione Benedicti XIV., quæ premiti solet indici librorum prohibitorum, quia sola impudentes calumnias dissolvuntur quibus Petrus Tamburinus insurgit in eum indicem, hoc ipso quod omnia auctore omnia ejus opera in indicem fuerint relata.

(3) Cf. Tiraboschi S. J. *Storia della letteratura italiana* dall' anno MDC. all' anno MDC. lib. II, cap. 2, § 7 seqq. necnon: Gio. Battista Venturi, *Memorie e lettere e inedite finora o disperse di Galileo Galilei*. Modena, 1818-1821. duoh. volum. in 4. ubi magno studio et diligentia collecta inveniuntur quea ad Galilæum spectant; ex his porro diluuntur

II. *Obj.* In magno versantur errore qui scientiarum progressum catholica fidei acceptum referunt. Etenim 1. compertum ex historia est, sub ævum reformationis vehementiorem impulsu scientias ac bonas artes omnes accepisse; notum præterea est, penes protestantes eas maxime fuisse excultas, nec solum sacrarum, sed et profanarum disciplinarum, humaniorumque litterarum studia profecisse. Nemo qui plane hospes in historia litteraria non sit, ignorat linguarum orientalium, græca vero potissimum, cognitionem exinde auctam; grammaticæ institutiones, lexica linguae sanctæ ceterarumque affinium a protestantibus magna saltem ex parte repetenda; exegesis biblica, critica, historia, philologia universa item incrementum maximum ab iisdem naeta sunt. Metaphysica vero studia, psychologica, ethica, scientiam juris naturalis et gentium, aliaque omnia tali successu protestantes excoluerunt, ut si qui catholicæ plenam earum ac penitorem notitiam sibi compare volunt, ad illos configuant oportet. 2. Si præterea ratio habeatur varii scientiarum bonarumque artium status tum autem tum post reformationem, negari hand potest ita alterum ad alterum se habere ut ad virilem ætatem se habet infans. 3. Id autem quoniam modo factum est nisi ex ipsis reformationis inde, quippe quea cum plenam ab auctoritate libertatem seu emancipationem proclamaverit, jam nullis irretitur vinculis humana ratio, ita ut novis semper ac novis tentandis ac detegendis par sit? Sane protestantes in omnibus semper præceunt ac viam veluti sternunt, quos deinceps catholicæ lento gressu sequuntur. Ergo.

R. D. A. Si fides adjungatur iis quea de se plerique protestantes identidem jactare solent, C. si res prout sunt sedulo disquirantur N.

Ad 1. prob. N. Imvero compertum est longe ante Lutheri, ceterorumque ætatis illius sectariorum perduellionem, ubique locorum in Europa, in Italia vero præsertim, græcam latinamque litteraturam præter vernacularum, ac bonas universum artes perfectionis apicem attigisse (1); Gallias, Hispaniasque

que amplificata sunt ab incredulis passim circa processum Galilæi ex parte romanæ Inquisitionis.

(1) Equis ignorat secundum Leonis X. comparari seculo Augusti? Si sculpturam spectes, tibi sese sisisti Buonarotti; si architecturam, Bramante; si picturam, Raphael, Sauzio Urbinas, Julius Romanus, etc.; si græcam linguam, tibi occurrit Angelus Politianus. Sadoletus atticus ab Erasmo nuncupatus, Guidiccionis aliusque magno numero; de lingua latina nihil attinge dicere, cum Sadoletus, Benibius, Jo. Ant. Flaminius, Hier. Fracastorius, Sammarus, Vida, Castilioneus, Altilius, Fasciellius, Cotta, etc. monumenta post se reliquerint ære perenniora. Floruit etas illa poetis græcis, latini, itali, oratoribus, historicis summis. Satis erit percurrere vel leviter tres partes velutini VII. ed. Rom. historiae litterariae Italiam cl. Tiraboschi, et historiam universæ litteraturæ cl. Andres, lib. I. cap. 15. ut quisque intelligat quo pervenissent scientiae ac litteratura omnigena sec. 16. ineunte. Attamen barbarus Lutherus austus est exprobare Romanos quod nesciret latine! Ac heretici teutonicæ illius sectores impudenter id ipsum ingeminare non eruherunt! Apposite Branca op. cit. *De sacr. libr. latine vulgatae editionis*, tom. I. lib. I. cap. 1. pag. 55. « Quasi vero, inquit, Itali præsentim nostri eo seculo, quod nobis seculum omnium elegantiarum non etruscarum modo sed latinarum quoque et græcarum fuit, ope indigerent Gete alijus aut Davi, ut perpolarentur, ac barbari esse tum

summis florentes viris sec. XVI. initio, perinde ac Germaniam extitisse, ut de regionibus reliquis taceamus (1). Notum est, philosophiam, jurisprudentiam, scientias naturales magna per id tempus animorum contentione fuisse exultas (2); notum denique, omnia scientiarum semina jamdiu prajecta felici tunc exitu evoli cœpisse ex universalis propemodum regionum omnium commercio, novique orbis detectione ac inventione typographicæ artis (3), priusquam Lutherus cum suis ad pacem Europe perturbandum in medium prodiret. Sive igitur erupisset protestantismus sive non, impulsio data jam fuerat, et scientie universæ eodem omnino modo progresse fuisse ac re ipsa fecerunt. Protestantismus propterea ad scientias ac bonas artes quod attinet elementum est plane heterogenum. Ad summum protestantismi origo thesim nostram mirifice confirmat, fidem nempe catholicam tum directe tum indirecte scientiarum progressus et incrementa. Dum enim protestantes veram Christi Ecclesiam turpiter deserentes acriter in eam insurrexerunt, excitarunt catholicos ad avitæ fidei, que in omnibus fere articulis impugnabatur, defensionem suscipiendam. Omnis quippe actio provocat, uti animadvertisimus, reactionem; ac milites dum arma exercent, validiores evadunt.

Ceterum ad grammaticas institutiones, lexica, aliaque id genus quod attinet, quamvis hanc adversarii gloriolam liberaliter concederemus (4), inde

primum dederent; aut, si qua ceteris linguarum scientia fuit, non illi ejus studium sensumque extulerint et catholicis, potissimumque ex Italia ejusmodi artium altrice, librorumque de his excusorum parente prima. Cf. card. Quirinius ep. ad Samuelum Formejum, an. 1748. dec. 6. alia ad eundem 1749. dec. 7. epist. ad Joan. Roduphium Isselium an. 1750. dec. 7., etc. Paulum Colomesium, *Italia orientalis*, p. 62. 77. 104. 143.

(1) Cf. Andres, op. cit. *Dell'origine, progressi e stato attuale di ogni letteratura*, Vm. I. lib. 1. cap. 12 et 15. Ipse Büble in sua *Historia philosophiae*, quamvis ut protestans, Kautianisque placitis haud parum adductus, reformationis influxum in scientias exaggerat, tamen agnoscit causas instauracionis scientiarum reformationem præcessisse. « I lumi riaccessi in Italia dal risorgimento della letteratura e filosofia degli antichi sparsero la beneficia loro influenza anche nelle vicine contrade e specialmente in Germania verso il fine del quindicesimo secolo e il principale del sedicesimo; » ita ipse incipit sect. 2. cap. 1 ex versione italiana; Milano 1822, remque ibidem evolut, licet acatholico prejudicis ubique affectum se prodit.

(2) Per id tempus ubique fere florentissimæ universitates studiorum instituta fuerant: celebres inter ceteras erant Parisiensis, Lovaniensis, Bononiensis, Patavina. Germania inquit fuit et ibidem erecta demum universitas, Tübinger, an. 1477. Moguntina, an. 1482. Wittembergensis, an. 1502. Francofurti ad Odderam, an. 1506. in quibus recensitate discipline tradebantur. Cf. Audin, *Vie de Luther*, ed. cit. préface, pag. 28. in quo egregio opere multa quidem alia iuvenes ad id quod contendimus comprobandum.

(3) Nam et. haec inventio catholicorum est, ae primum opus typis excusum, fuit Scriptura sacra an. 1450 cf. Tiberioschi, *Storia della letteratura italiana*, tom. VI. lib. I. §§ 27, 28.

(4) Dixi: *Quamvis id adversarii concederemus*; nam neque hoc ipsius facile damus; siquidem quovis tempore lingue ista fuerunt exulte, pluresque semper magna cum laude in eis excellerunt; cuius rei assertorem damus hominem ex lutherana familia, Petrum nempte Albinum. Is postea quam trans Al. et penetrasse ex Italia græcas litteras, et hebraicas quoque memorasset, ita pergit: « Neque in Italia studium id rexit, ubi fluerunt Joannes Picus

tantum sequeretur protestantes in materialibus ejusmodi lucubrationibus id nobis præstare officii, quod Tyrii Salomoni in templi ædificatione præstiterunt, lapides nimurum ac ligna cœidunt, et quæ utilia nobis ad pugnandum cum ipsis arma suppeditant.

Exegesis porro, critica, ac philologia, lieet eas ipsi eruditæ adornarint, sunt, uti jam superius dæ de sae. Scriptura agebamus annotavimus, veluti totidem cadavera spiritu et vita destituta; et dum protestantes illis indefesso labore incumbunt, nobis aliamentum quod saepe Scriptura præbent, quo salubriter nutriamur, relinquent (1).

In metaphysicas, psychologicas, anthropologicas disciplinas plurimum certe præsertim recentiori atate incubuerunt protestantes: nec *indirectas* quas illarum progressu asserre utilitates potuerunt, inficiari volumus. Sed si solida utilitas scientiarum ex veritatis aut noviter detectis aut firmius probatis aut aptius illustratis pensanda est, quid de philosophicæ eorum conatus dicendum erit, cum eos videmus nunc ad scepticismum ac idealismum, modo ad empirismum ac materialismum, tum ad pantheismum, atque autotheismum toto pondere dilapsos? Difficile admodum est quod philosophus protestans ita rationem suam moderari sciat, ut tandem ad positivam Dei revelationem oppugnandam non feratur.

Mirandula princeps, Datyi Hebrei, qui Taurini vixit, discipulus, et hujus obtrector Mithridates Romanus, Agydius Viterbiensis, et hujus etiam discipulus Hieronymus Seripandus, Patricius Neapolitanus, Hieronymus Alexander, et Fridericus Fulgus, duo romane sedis senatores archiepiscopi, Augustinus Justinianus Genuentis ex donauiano monacho Nebiensis episcopus, ex cuius Bibliis Octoplis Psalterium totidem linguarum absolutissimum est, Augustinus Steuchus Eugenius Cisanensis episcopus, Sanctes Pagnini Lucensis, Petrus Galatinus Minorita, qui Capuonem adversus complices Hochstratiianos defendit, et quihos antecesserunt, Raymundus Martinus, Galatanus, et Porchetus auctores *victoriarum*, et *pugnios*. Quibus omnibus Marcellus II. et Paulus III. pontifices romani una cum Ptolemaeus Senensis nobilis, Lactantio patre, Lelio et Amelio filis linguarum omnium peritia insignibus accessendi (Petri Albini Nivemonti *Commentatio de linguis peregrinis*, p. 10 seq. edita primuan. 1542, apud Branca op. cit. p. 57. 58.), qui postea accedens ad usum secte Germanos enumerando, tres tantum commemora, dicens: « Quemadmodum et sua lata debet Pellicano, Munstro, Fagio (ib. p. 42), ex quibus duo saltæ priores, quidquid linguis valent secum ex catholicorum societate detulerant, prout plures alii id ipsum fecerant, uti Melanchthon, Reuchlinus, Huttenius. Recensit innumeris prope alii adjici possent. Verum ne res nimirum protrahatur, remitto auditores ad P. Cherubinum 3 s. Joseph, qui in *apparatu biblilico* toties cit. tom. I. diss. prælim. sect. IV. quæ inscribitur: *Collatio hereticorum cum catholicis in scripturæ peritia*, ubi duplice indicem texuit catholicorum qui ante Lutherum, ac atate Lutheri in lingua præsertim hebraicæ et græcae peritia floruerunt, quos si pervoluerint novatores habentur unde erubescerent; omittit polyglottam adornatam sub card. Ximenio ante reformationem; decretta Clementis V. qui aliquor doctorum, qui antecesserunt, exemplo in eum, cone. Viennensis, sicc. XIV. initio studi linguarum approbatam addidit et confirmavit quidquid de his peractum erat in Ecclesia. Imo lib. VI. *constitutionum* que deinde Clementina dictæ sunt, fit. I. de *magistris* hoc studium præcepit; omittit quod Leo X. pro studio lingue arabicae et hebraicae præstabilit, que constituit Greg. XIII. Paulus V. Clemens XI, etc. Cf. Branca op. et loc. cit. Audin, *Histoire de la vie de Luther*, c. 16. Plura etiam hanc in rem repertis in op. *Specimen variae literaturæ que in urbe Brixia ejusque ditione paulo post typographicæ incunabulu florebant*. Brixia, 1759. et in *Decade III. epistolæ*. card. Angeli Marie Quirini, Brixia, 1744. vid. etiam Fabry, op. cit. *Des titres primitifs*, tom. II. p. 151 seqq.

(1) Recol. que scripsimus p. 2, sect. I, cap. 5, art. 2.

Si quam item sibi protestantes laudem in jure naturæ aut gentium excolendo compararunt, non minorum sibi jure tribuere possunt catholici, qui illis etiam hac in parte præverunt, candide fatentibus protestantibus ipsis (1); sed qui præterea caverunt se ab erroribus illis sane gravissimis in quos juris peritus protestantes identidem inciderunt ac incident (2).

Ad 2. D. Ita tamen ut protestantismo ejusmodi progressus nullo modo tribui possit, C. ut debeat aut possit illi tribui, N. Si enim, uti vidimus, germina omnia profectus ejusmodi jam erant præjecta, si elementa ejus omnia jamdiu existebant ante protestantismi ortum, si adiuncta quæcumque rerum eidem favent, si validissima demum impulsio data ubique jam fuerat, evidenter patet eam ingeniorum evolutionem sponte ac necessario omnino contigisse, planeque a protestantismo fuisse independentem.

Ad 3. N. Potius enim protestantismus ex nativa indole sua iisdem incrementis maxime obfuit, utpote qui rationis nihilismum ab initio proclamaverit, ut sacerdos annotavimus et absolutum fuerit contemptum professus omnis humanæ philosophiae (3). Quod si postea secus ac prima ejus ferret institutio, philosophiam ac disciplinas reliquias excolendas suscepit, id ex eo factum est, quia ad exemplum Lutheri et Calvinii, qui se extulerant adversus Ecclesiæ auctoritatem, protestantes sequiores injustum excusserunt patriarcharum suorum jugum, et per quamdam reactionem ita se ab omni emanciparunt auctoritate, ut rationem normam principem, imo unicam, constituerint agendorum et credendorum (4); ac demum plerique eo-

(1) En quomodo inter ceteros loquatur de Grotio Joan. Jac. Schansius, in *Historia juris naturæ* quam exhibet lib. I. *Novi systematis* sui ejusdem *juris*, § 21. « Alterum de Hugo Grotio præjudicium in eo situm est, quod in ius naturæ novum tradiderit, atque a scholasticorum grillis purgaverit, adeoque ut hujus discipline reformator, et restaurator habendus sit: cum potius quidquid de jure naturæ profert, nihil aliud sit, quam vetus scolasticorum doctrina; » recensit deinde præcepit huc de re Grotiana doctrinæ capitibus, concludit: *Hec omnia in fusoribus exceptis, quæ ex veteribus recentioribus scholasticis supra tradidimus, reperiunt possunt.* » Apud Joan. Franc. Finetti S. J. *De principiis juris naturæ et gentium*. Venet. 1763. tom. I. lib. I. cap. 5.

(2) Cf. Finetti, op. et lib. cit. c. 3. quod inscribitur *Vana est protestantium jactatio de instaurata, illustrataque et ad perfectionem perducta a se juris naturalis doctrina*. Vid. etiam capp. insequentia. Sane ex protestantium doctrinis manavit ea ius naturæ, hominique officiorum tractatio ac si tota hominis destinatio hujus vite finibus esset conclusa, atque ab omni immortalitate animi præscindere deberet, id quod præsertim Puffendorfio soleme fuit, nimis in hoc sectatores nacto. Item absoluta rationis practica autonomy, Deo omnino seposito, rejectio legis aeternæ in Deo, immutabilitas juris naturalis sublata, officiorum specialium erga Deum negatio, ac tot ali erroris in singularibus juris naturæ præceptis nonne eodem ex fonte fluxerunt?

(3) Lutherus sane omnis philosophie se hostem, ut vidimus, professus est. En quid de ipso scribat Erasmus: « Nonne Lutherus scriptis omnem disciplinam tam practicam quam speculativam esse damnatam? Nonnes scientias speculativas esse peccata et errores? Nonne Melanchthon aliquando damnavit scholas publicas, etc. » ep. 59. lib. 31. ap. Audin, op. c. p. 196. Qui iterum epist. CVI. ad Bilbaldum Pirckheimerum sic de lutheranismo scribit: « Ubique regnat lutheranismus, ibi literarum est interitus. Et tamen hoc genus hominum maxime litteris altis. Duo tantum querunt, censum et usorem. Cetero præstat illis Evangelium, hoc est, potestatem vivendi ut volunt. » Opp. edit. Lugd. Batav. 1705. tom. II. part. poster. col. 1159.

(4) Nempe ratio per systema protestantismi oppressa

rum in omnem impietatem dilapsi sint, eti tota rationalismi historia patet. Hæc nos dolentes, non animo protestantes insectandi, dicimus: neque hanc inter ipsos et catholicos comparationem instituimus ut omnem illis scientia ac eruditionis laudem præcipiamus: sed ut frequentibus ipsorum insectationibus occurramus, quibus catholicam romanam Ecclesiam veluti obscurantismi parentem traducemus. Eam certe talem minime experti sunt, qui ex ipsis protestantum castris in illius sinum se receperunt recentiori hæc aetate, viri sane clarissimi, Schlegel, Stolberg, Werner, Haller, De Joux totque alii sive Germani, sive Angli, sive Galli, quorum numerus augescit in dies.

CAPUT III. *De ratione post fidem.*

Postquam ab infallibili Ecclesiæ magisterio aliquid credendum de fide propositum est, ac etiam postquam iis omnibus, que Ecclesia credenda proponit, quispiam interiorum intellectus ac voluntatis assensum, divina opitulante gratia, præbuit, nullene amplius rationi partes supersunt? Haudquaque sane, sed plura sunt in quibus poterit humana ratio post susceptam fidem se exercere, suasque exercere vires.

Verum ut id legitime fiat, et hinc inde latentes devenientur scupuli, debet ratio certas sibi a fide ipsa præstabilitas regulas sectari, eamque præcipiam, ut non primas sibi in ejusmodi negotio vindicet partes, nec se unquam ab Ecclesiæ magisterio subducat, sed veluti ancillam se exhibeat fidei, minime vero ut arbitram ac dominatricem. Hoc modo fidei ac rationis legitimæ jura in tuto posita erunt, vanæ reddentur accusationes quas increduli ac rationalistæ adversus catholicum auctoritatis principiū intentant; inio vero componentur sententiae quas nonnullæ catholicæ scholæ atate hæc nostra in speciem contrarias, ac invicem adversantes proferunt. Methodum igitur

atque ad nihilismum dejecta per quamdam reactionem se extulit, ac vindicavit se de oppressoribus suis, et in aliud extremum prolapsus jugum cuiusvis auctoritatis exsusus, ut alius cum el. Moehler animadvertisimus.

Cetero quantum contulerint catholici principes ad scientiarum ac bonarum artium ardorem excitandum exerceunt sec. 13. et ineunte 16. ante exortam reformationem, colligi facile potest, ex iis quæ habet Andres op. cit. lib. I. cap. 15. n. 220. seqq. ubi ostendit annulationem quæ vicit inter Italie principes Mediceos, Estenses, rom. pontifices, aliosque in disciplinis omnibus promovendis; civitatis principes Romam, Florentiam, Urbinum, Ferrariam, etc. inter se de primatu contendisse. Antiqui codices græci et latini undique conquirebantur. Leo X. excitabat Erasmum, Sanctem Pagni alias docitos illius statutus. Quod vero specialiter attinet ad viros ecclesiasticos in promovendis scientiis, satis erit eruditum quod percurriere cl. Severini Fabriani cui tit. *Dei beneficij prestati dagli ecclesiastici alle scienze*. Bergamo 1852, in quo ostendit quid illi contulerint in promovendis mathezi pura, meccanica, hidrodinamica et nautica, optica, astronomia, geographia et chronologia; duas item egregias dissertationes card. Mai, quarum altera inscripta est: *Meriti di Pio VII. e del clero verso la letteratura*, altera vero: *I vicendredi nissi della religione e delle arti*. In quibus vir doctus omnes prope disciplinas ac bonas artes percurrit, ostenditque luculentissime quan bene meriti de illis fuerint catholici, presertim vero ecclesiastici quovis tempore. Quibus ad majoris reformationis dedecus adiici possunt opp. com. Montalambert, *Du Vandalisme et du catholicisme dans l'art*. Paris 1841. vol. I. n. 8. et *Monuments de l'histoire de sainte Elisabeth de Hongrie*. Parjs, 1841. vol. I. in-fol.